



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XL. Franciscum Stradam suis Ignatium adiungit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

Christi humeris leuiore. Quare egressus sacra illa æde, suosque affectus inflammato vultu, & gaudio impar, visa auditaque distinctè iis exposuit, vt in omnem euentum eos animaret, tum, haud scio, inquit, cruces ne an rotæ nos Romæ mancant, quo tanquam victimæ ad aram duci videmur Deo præeunte; quodcumque illud est quod minatur, eamus illi alacriter obuiam, securi crucem quæcumque ferenda sit, sine Christo minimè futuram, & Christi præsidium ad opem fore semper nobis hostium omnium coniuratione potentius.

XL.
Franciscum
Stradam suis
Ignatium
adiungit.

Romam Octobri attigerant anno 1537. & voti fidem præstituri, suo & sociorum nomine confestim Christi Vicario se sistunt; admisit Pontifex oblatam operam magna significatione paterni amoris; & sacris paginis in Sapientia schola explicandis Fabrum; Lainium Theologiæ docendæ assignauit, Ignatio interim iuuandis animis, totis viribus attento. Nam viros Principes nonnullos Exercitiis spiritus excoluit, inter quos Contarenus S. R. E. Cardinalis, deinde (quod ante iam memini) Ortizius, cum quo propterea in Monte Cassino dies exegit quadraginta, vnde rediens Romam socium recepit succidaneum Hozio quem Deus ei abstulerat, licet eo inter superum choros visò, vtiliorem illic Societati putaret fore esse in quàm terris potuisset. Noui socij nomen Francisc. Strada, natione Hispanus magnis ab natura dotibus præditus, Romam, vt assolet, fortunæ in aula melioris illicio adductus; sed solum nactus operosæ culturæ admodum ingratum, aulam militia; Roma Neapolim mutare cogitauit, esto futurus minus diues, at magis suus. Hæc dum animo versat, Deo sortem illius secundante, Ignatio occurrit sibi minimè ignoto, vtque mos est infelicibus, suas cum amicis dolere miserias, sua cum illo aduersa questus est, nec de Neapoli, & militia tacuit, eiorandæque aula fastidio. Ad quæ Ignatius tantisper se colligens, motusque potius iuuenis cæcitate, quàm querimoniis, alia omnia quàm quæ expectauerat respondit. Nam de hominibus, inquit, nec iure, nec bene exoptulas; nihil præter quod decet ac solet, ab iis peccatum est, dum frustrari sunt spes tuas; quin imo gratiam iis debes, quod se tibi non dissimularunt, verum ab initio statim palam tibi fecere cuiusmodi essent, quo pacto suos habere soliti, qua mercede illorum seruitutem pensare: iniquiores tibi fuerant si benigniores, aliàs tamdiu illos ignorasses dum te amara mors ab iis seiungeret, cum vltro nunc possis magno tuo merito illos contemnere; si prudenti aure quod suadent auscultas, alium tibi quærendum inelamant cui melioribus conditionibus seruias, quam vitæ, laborumque iactura. At tu naufragi more, dum exeraris mare in quo periisti, aliud in quo denuo pereas inquiris mare, militiam ex aula, urbem aliam ex alia captas; quasi non sint futuri homines iidem Neapoli qui & Romæ mihi crede, si roges sursum deorsum hanc viam commeantes, multos reperies, iisdem: Romam Neapoli cogitationibus actos transcurrere, quæ te nunc Roma Neapolim agunt, nempe vt alibi hoc quærant quod vndique hominum, & locorum sapientius fugissent.

Quare

Quare tuas sanè spes magis superstities doleo, quàm delusas; & si consilium ab amico lubet accipere, audire saltem quod decet suggeri ab amico, nec tibi sat vnquam cum hominibus conueniet, neque illis tecum, & illam animi quietem frustra tu semper aliunde sperabis, quæ extra Deum nullibi est. Nam finge homines supra datam fidem, & obsequij meritum vincere spes tuas liberalitate, dent licet quicquid sunt, ac valent; non ita explebunt desiderij tui sinus, vt nihil præterea requiras; at si Deo incipies adhærere, tantùm statim bonorum potiere, vt præ illis tibi cætera omnia flocci futura sint. Horum Ignatij verborum tam præsens fuit, & opportuna vis, vt retro hominem verterit pro explorata re iam prospicientem, miserum esse malè ab hominibus haberi, sed multo miserius haberi benè. Ergo Ignatium secutus, eiusque post obita Exercitia socius; in virum euasit Apostolici Spiritus, quem magnis tota Italia, Belgio, Hispania & Lusitania, concionum, itinerumque laboribus consecrauit, grandi sane fructu conuersarum ad Deum animarum.

Fuit is Romæ Ignatio, & sociis cursus, cum tempus rem agi visum est, in quam semper defixos tenebat oculos. Dandi videlicet religiosæ quam moliebatur, familiæ certum initium. Ad hoc socios omnes Romam literis euocauit ad diem Christo resurgenti sacrum anni 1538. nec leuis negotij res fuit, suis illos stationibus mouere, vrbesque illorum operam, magno suo expertas commodo, adducere ad concedendum iis comitatum. Eorum aliqui piorum humanissimo comitatu deducti sunt, inter quos Rodericius & Codurius comitem habuere Patauinum ex primariis Canonicum secumque pariter peditem, quem Laureti demum reliquerunt virtutis suæ constanti duritie mirè captum, quod præter quotidianum ieiunium nocturnæ quietis pusillum quod erat nuda etiam in humo caperent. Quod autem noctis supererat precando de genibus ducerent, dum hora repetendi itineris adesset. Degebat tunc Ignatius ad radices montis à Trinitate dicti duobus cum sociis commodata in domo ab Quirino Garzonio nobili Romano: excipiendis aliis, hospitium amplius piorum charitas parauit, vbi paterna Ignatij cura ex itinere recreatis, Xauerio maximè, cuius in posterum desperabatur valetudo; Valentiam vsque aureos quatuor Ignatius remisit, quos à Martino. Peresio in transmarinum iter acceperat, ducentos decem quos à Pontifice, & quibusdam Hispanis, Ortizio reddidit, quo suggerente donati fuerant, vt quando iam esset irritum petendæ Palestinæ cui fuerant assignati, consilium, pro prudentia illos dispensaret. Inde bona cum venia Ioannis Vincentij Carafæ Cardinalis, Romæ Pontificis Legati (Nicæam enim Pontifex ad Carolum V. & Franciscum I. conciliandos adierat) partitus est suos in diuersa loca, ad conciones, doctrinam christianam cæteramque animarum procurationem: is quidem sibi templo Monferratenfis Deiparæ ad Sauellum forum reseruato, Xauerium & Fabrum ad S. Laurentij in Damaso; ad S. Saluatoris in Lauro Lainium misit; Salmeronem ad S. Lucie; Iaium ad S. Ludouici Gallorum; ad S. Michaëlis

XLI.